

commentario in hanc Epistolam, qui extat tom. 9. oper.

3. Ex contextus se- 47. 3. Ex contextus serie. 1. Apostolus v. 6. trium fecerat
 textus se- mentionem, aqua sanguinis & Spiritus, eorum igitur officium versu
 rie & con- immediate sequente explicat, quando tres esse in terra testes subjun
 nexione. git, proinde v. 7. de tribus in caelo testibus est omittendus. Resp.
 imo vero quod in genere & implicite de sex testibus v. 6.
 Apostolus dixerat id postmodum in specie & explicite
 declarat tres in caelo, tres in terra testes constituens. Nec
 praetermittendum erat illud summum & principale fidei
 nostrae fundamentum, immediatum sc. Dei de Christo te-
 stimonium. 2. Tractatio de Trinitate hoc loco est supervacanea.
 Resp. imo vero Sacro sanctae Trinitatis mentio hujus lo-
 ci scopo & contextui optime congruit. Cum enim Apo-
 stolo propositum fuerit irrefragabiles testes producere, qui
 Christum verum Deum & hominem ac Salvatorem no-
 strum esse testentur, ac immotum fidei nostrae fundamen-
 tum constituent, utique non potuit commode praetermit-
 ti summum illud & prorsus irrefragabile testimonium,
 quod singulae Trinitatis personae ad fidei nostrae confir-
 mationem protulere. Quemadmodum enim Christus
 cum testimonio Johannis Baptistae (quod vere quidem e-
 rat divinum, quia Johannes a Deo ad testificandum erat
 missus, mediatum tamen) conjungit immediatum Patris
 caelestis testimonium Joh. 5. v. 37. ego testimonium habeo ma-
 jus Johanne, qui misit me Pater, inquit, ipse testimonium perhi-
 buit de me: Sic Johannes hoc loco cum testimonio Spiri-
 tus, aquae & sanguinis, quod per verbi & Sacramentorum
 ministerium Christo datur, immediate divinum testimo-
 nium, quod tota SS. Trinitas perhibuit, optima omnino
 ratione conjungit. 3. S. S. non satis commode utriusque testium
 ordini adjungitur. Resp. diximus superius v. 7. per Spiritum
 intelligi tertiam Deitatis personam, sed v. 8. per Spiri-
 tum intelligi animam sive Spiritum, quem Christus in
 cruce emisit, qua hypothese stante nullus Photiniana ob-
 jectioni remanet locus. Quod si vel maxime utrobique
 visc.